

# HISTORIARUM INDICARUM LIBER DUODECIMUS.

**P**LURA jam hinc & uberiora de progressu Evangelii, deque rectæ in Deum fidei propagatione dicentur. Quippe, ad hæc usque tempora, constituendis emporiis, arcibus extruendis, tuendo mari, & propulsandis finitimorum armis distenti Lusitani duces ac proceres, in magna illustrandi nominis Christiani voluntate, humanæ tamen magis quam divinæ rei operam dederant. Et e Franciscana familia fratres, cum domicilium in India pridem constitutum haberent, essentque amplificandæ religionis Christianæ percupidi, tamen quotidiana psalmodia, funeribusque, & cæteris diurnis pariter ac nocturnis cæremoniis impediti, satis otii nequaquam suppeditare poterant peregrinationi, catechismo, aliisque muneribus, quæ ad conversionem gentium, & curationem & cultum haud dubie requiruntur. De cæteris, neminem illorum temporum, ego quidem cum Antonio Galvano, vel prudentiæ laude vel caritatis ardore contulerim. Proximi Galvano habebantur, Michaël Vasæus, totius Indiæ pro Episcopo (Vicarium generalem appellabant) & Jacobus, de quo supra dixi, Borbanus, Episcopi comes: itemque Cosmus Annius, regius scriba. Ii, communi consensu, Stephano Gamma prætore & Fernando Rhoterigio Quæstore approbanribus, cujusmodi Ternate Galvanus, Collegium seu Seminarium in urbe Goa instituerant puerorum e variis nationibus, ad fidem Christianam (si fieri posset) usquequaque disseminandam: atque ob id ipsum, ei collegio ab Sancta fide nomen indiderant. Sed mox, in stadio equestri (ita enim vocatur is vicus) attributa huic operi nova divi Pauli conversionis ædicula, priore appellatione antiquata, cognomen collegio fecit. eidemque alendo, prædia & redditus, qui paulo ante in Tricuarino, Divare, & Ciorano insulis, dæmonum cultui deservierant, fanis eorum ac delubris Vasæi cura disturbatis everfisque, ex Regis auctoritate assignati. Per eosdem fere dies, haud contemnendum etiam aliunde incrementum Christiana res ceperat. Paravæ sunt populi ad Comorini seu Cori promontorium, imbelles ac mites, piscatui margaritarum præcipue dediti. Inde Piscarium, quinquaginta ferme leucarum spatium, littus appellant. idque ab ipso promontorio initium ducens, meridiem spectat primo, tum in septentriones reflexum, ad usque Remanacoris vada, & Manarem insulam, fronte in orientem solem obversa protenditur, tanta in tam brevi locorum intervallo cœli varietate, quemadmodum supra demonstratum est, ut iisdem anni mensibus, cis promontorium, æstas & calor; trans idem illud, hyems & frigora sæviant. pagis vel oppidis quinque circiter & viginti ora eâ tota censetur. Ii ergo populi ab inquilinis Mahometanis adempto piscandi arbitrio, cum gravioribus in dies afficerentur injuriis, coacto concilio, de re